

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Philologica Qua Al Tehî Tsadik Harbeh Ve-'al Tirsha' Harbeh Sive Nimium Iustitiae Et Improbitalis Salomonis, Coheleth. VII. 16. 17. ...

**Clauswitz, Benedikt Gottlieb
Keyselitz, Gottlieb**

Lipsiae, 1721

VD18 11528834

§. XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130295](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130295)

da sit, quæque homini facile malum, mortem præmatu-
ram, interitum vel stuporem acceleret, quæ Deus a piis
observatis his monitis averuncet.

Reg. VII. Sensus genuinus is non est qui Salomonem
profanæ mentis arguit, ipse enim dum hæc docet, timo-
rem Dei tanquam medium hæc mala evitandi supponit.

Reg. VIII. Sensus genuinus verbis אל תהי צריק אל
תרשע הרבה & הרבה tributus ex duobus res distin-
ctas facit quæ sibi v. 18. opponantur, ut זה & זה.

§. XVI.

Insuper vero observandum est de his regulis, omnes
eas ad genuinum sensum eruendum esse conjungendas.
Non ergo statim pro sensu genuino loci is habendus erit,
qui uni vel alteri regulæ, vel magis etiam quam alius fa-
tisfacit, si deinde in reliquas peccet. Inter ipsas vero
sententias in medium nunc proferendas quædam reperi-
entur, quæ uni atque alteri regulæ ita contradicunt, ut
plane cum illis conciliari nequeant. Quædam vero sen-
tentia tantum in circumstantiis quibusdam difficultatibus
premuntur. In his ea merito præferenda erit sententia,
quæ pauciores & minores difficultates habet, cuique adeo
plurimæ regulæ commodissime applicari possint.

§. XVII.

Antequam vero ad applicationem Regularum ista-
rum ad diversas Commentatorum, aliorumque autorum
sententias progrediamur, de sensu v. 15. nobis ante omnia
constare debet, utpote cum quo paræneses versu nostro
16. & 17. connectuntur. Meminit in illo Ecclesiastes even-
tus alicujus a semet ipso in vita sua observati, miseri qui-
dem quoad speciem externam respectu צריק רע, læti vero
respectu רשע רע. Quod si nunc ad notiones צריק רע at-
tendimus, observatum est §. VII. vel justum in genere, h. e.
vitam ad legem Dei componentem, vel inspecie eum qui
in causa sua justus & criminis expertus est, hac voce deno-
tari.

tari. Neutiquam vero צדיק is est, qui vera justitia destitutus aliis tantum, vel sibi ipse justus videtur: Quem admodum רשע vel impium in genere vel in causa, in qua accusatur, criminis reum denotat. Impium dicit prolongasse ימים dies suos, ut Cap. VIII, 13. ipse supplet Salomo. Dies vero prolongare est. h. l. non tantum vitam diuturnam sed etiam diu ita externe felicem agere. Hanc vero vitam diuturnam & felicem egisse dicit רשע רועו ברעותו, vocem ברעותו exponimus non propter malitiam vel pessimam causam, ut illa hic tanquam medium consideretur, sed tanquam status in quo malus vitam prolongat.

Is enim usus est in primis particula ב in similibus locutionibus apud Salomonem nostrum, ut Cap. I, 3. 18. II, 22. III, 22. IX, 3. Notanda in primis sunt loca Coh. V, 13. VIII, 5. Prov. XII, 3. Similesque sunt apud Salomonem quæ hoc ostendunt sententiæ Cap. VIII, 12. Atque ita etiam justus dicitur periisse בצדק in statu illo quo justus est. Etsi enim & perire sæpe soleat propter justitiam, vi tamen oppositæ phraseos rectius vertere videntur in justitia sua reddentes. Ipsum vero אכר de malis externis vitam hanc affligentibus exponimus, de paupertate, contemptu & aliis, quæ eo tendunt, ut terminus vitæ naturalis justitius abrumptatur, id quod ex phrasi opposita מאריך ימים & ex sententiis scripturæ parallelis Es. LVII, 1. Mich. VII, 2. colligitur. Cum vero ad significatum aliquem ex notionibus supra vocibus צדיק & רשע vindicatis tribuendum progredi debeamus, non diffitemur ancipites nos hæere, utrum latiore sensum, an specialiore de eo, qui iustitiam causæ habet vel culpæ reus est præferamus. Uterque enim significatus Salomoni nostro non est inusitatus, & subiectum ab utrovis descriptum prædicatum illud commode recipit. Dicit enim potest etiam justum causa sua in iudiciis quandoque cadere, atque ita opprimi

C

mi

mi, fontem vero in non iusta causa vincere in iudicio, pertinet huc locus Coh. III, 16. 17. V, 7. Attamen usitator est significatus generalis vocis צָרִיק & רָשָׁע & Salomoni nostro in Proverbiis in primis in eadem oppositione receptus. In ipso quoque Coheleth VII, 20. VIII, 14. IX, 1. 2. & quantum ad vocem רָשָׁע Coh. VII, 25; VIII, 8. 10. adhibetur, ubi per צָרִיק eum significat, qui vitam ad legem Dei componit, qui significatus in nostro quoque loco videtur recipiendus, cum nihil nos ad minus consuetum significatum recipiendum adigat, neque is si adoptetur difficultatibus quibus hic urgemur mederi valeat. Accedit, quod si subiectum in significato strictiore accipiat, notio prædicati אָבֵר ita fere coarctanda sit, ut primarius significatus is evadat, ut causa cadere noceat: Prædicatum vero רָשָׁע quo dicitur בְּרַעְתִּי מֵאֵרֶךְ iterum vel nimis coarctandum sit, vel si in sensu latiore accipiat multo commodius impio in genere tali, quam illi, qui causam iniustam contra innocentem tuetur, & causa vincit, tribui possit.

§. XVIII.

Jam cum ad ipsas auctorum diversas sententias sit accedendum, qui primum se nobis sistunt ad difficultates eo commodius removendas sententiam hanc tantum ex parte Spiritus S. iudicium faciunt priorem ejus partem carnis consilio tribuentes. *Ne sis justus nimis*, inquit caro, imo vero, *ne sis impius nimis*, inquit spiritus, ne remittas de pietate tua. Suam potissimum fecit hanc sententiam Pembellus doctus Anglorum interpres Polo ad hunc locum allegatus. Scilicet mens ejus hæc potissimum est; *Quoniam in antecedentibus dixerat Salomo, justum perire in justitia sua, hinc corruptam rationem, quasi consuluisse: Cum pietas tot periculis obnoxia sit, ne sis nimium fervidus & vehemens in studio pietatis sed accommoda te temporibus & circumstantiis.* Licet vero non